



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 14. Et ait illis quid vultis mihi dare & ego vobis eum tradam? v. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Domine Deus, an non quotidie hoc fit: ut quis secularia lucretur, etiam saepe unicum teruncium, vel haustum vini, vel verbum luxuriosum, aut curiosam vestem, an non te deserit homo, tuam enim legem deserendo, deserit te.

Ah Domine nimis verum est hoc, peccavi veniam deprecor, gratiam imploro, post hac cautius discam mercari, & tecum manere, tuis verbis credere & obedire, ne in graviora incidam peccata, ut hic discipulus Iudas qui post invidiam vendidit ex avaritia Magistrum.

§. 4. *Et ait illis quid vultis mihi dare & ego vobis eum tradam: v. 15.*

Ecce malum quod sequitur ex passionibus inordinatis, nempe, mi Iesu, tui derelictio, ex derelictione tui proditio, ex proditione desperatio, ex desperatione mors violenta, & aeterna tandem damnatio. Audiamus unum ex his passione actis: *quid vultis mihi dare:* (1 Timot. 6. 10.) Ecce cupiditas! radix omnium malorum. nam petit stipendium, ad faciendum malum, quod malum? Et ego eum vobis tradam. quem eum? Dominum meum, & Deum vestrum, virum sanctum, Prophetam Domini, Messiam, quem vos odistis? Principes, eum ego discipulus eius vobis tradam ad occidendum, propter mercedem pecuniae. Quis iam neget pecuniae obedire: omnia

Quot Iudae adhuc hodie supersunt, qui ob pecuniae lucrum Christum in membris suis produnt, fidem sanctae Romanae Ecclesiae, extra quam nulla salus relinquunt propter conjugem, propter villam, propter officulum, quot inde oriri videmus proditiones, maledicta, coniurationes, falsas accusationes, furta, rapinas! & alia peccata quae animus horret referre enormia! Et quot hinc desperationes, quot mortes violentae, quot praedae inferni! id autem ideo, quia tibi nec fidere, nec te sequi voluerunt Domine.

Non mihi sic fiat precor mi Iesu, si seductus a te fors recessi ob avaritiam, vel etiam concupiscentiam, & ab ea in aliquod peccatum incidi, cupio emendare, & tibi deinceps adherere, tibi servire, miserere mei, miserere peccatoris, ne vel mors insperata, vel damnatio aeterna reum assequatur.

§. 5. *At illi constituerunt ei triginta argenteos. v. 15.*

Scitur ex communi adagio: *servitium oblatum & iniquum rard gratum esse vel ratum.* plane ita, video in Iuda, offert Iudaeis servitium iniquum, & petit mercedem iniquitatis. quid illi spoliunt pro iniquitate? triginta argenteos qui sunt sane pauci & viles praeter tanta mercede. Vide anima mea huius miseri illusionem, & miser hic, caecus ex avaritia & livore, sine fide, sine Deo tam paucos nummos acceptat pro mercede tantae iniquitatis, ut pro ea Dominum suum vendat, prodatur omnemque fidem frangat,
 & infc-